



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Explicantur vota excepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

QUARTA DIFFICULTAS.

De commutatione voti iurati.

29. **Q**uarto, an votum iuratum per bullam commutari possit.

Respondeo, posse, non solum si iuramentum accedat ad votum iam factum, ut si quis dicit, *Iuro, me servaturum ieiunium, quod heri voti*, vel si accedat, cum sit, ut si dicat, *Voveo, & iuro ieiunium*. Verum etiam si solum adit iuramentum, ut *iuro me ieiunaturum*. Ratio est, quia nanc (ut supponimus) votum hoc iuramentum nihil aliud confirmat, nisi promissionem factam Deo. Quod si iuramentum esset homini praestitum, tunc sane non posse per bullam commutari, certum est, quia bulla non respicit, nisi quod promissum est Deo, cuius voluntatis, ut diximus, interpretes est Pont. *Quare* cum in casibus, propositis illae non sint modo nisi promissiones Deo factae, erunt vota, quae possunt per bullam commutari. Ita Suar. *tr. de rel. l. 6. c. 14. Pont. de matr. l. 6. c. 11. n. 4. & 5. Castrop. l. 3. tr. 1. d. 2. p. 1. n. 3. Meroll. l. 2. d. 4. c. 6. n. 114. alique.*

QUINTA DIFFICULTAS.

De duratione potestatis commutandi vota.

30. **Q**uinto, Quamdiu durat potestas commutandi vota per bullam? Respondeo, Certum est, durare per annum bullae, quod si poenitens nullum suum votum à Confessario commutandum petit, certum item est, non posse commutari post annum, quia potestas tunc iam spiravit. Sed propria difficultas illa haec est, an si poenitens accedat ad te confessarium ultimo v. g. die durationis bullae, petatque commutationem voti, tu vero, si quia es negotio alicui intentus, si quia vis libros, vel te doctorem consulere, &c. an (inquam) possis breviter sic pronuntiare: *Ego tibi commuo ex nunc votum tuum istud in aliud opus, quod post aliquot dies ego, vel quidam doctus deservabit.*

Respond. Possé; quia hoc modo dicere possumus; commutationem factam esse tempore durationis bullae, & solum designationem subrogationis fieri postea. Id quod non est uti iurisdictione post tempus spiritum Delegationis, sed est, exequi, quod tempore habili commutatum est. Ita Sanch. *in sum. l. 4. c. 5. n. 5. Suar. l. c. c. 11. alique* quibus adde Leaud. *l. 1. tr. 5. d. 14. g. 13. 8.* & ita contra Andream Mendo, tenet Bard. *de bull. p. 2. tr. 7. c. 1. à num. 43.*

Dices Potestatem aliquis dicere, per solam petitionem commutationis voti fieri causam ceptam, & rem non esse integram (ut in simili supra diximus de confessione incepta) unde posse commutationem finire post elapsum delegationis tempus? Respondeo. Mendo *de bull. d. 26. à n. 165.* affirmat sufficere solum eiusmodi petitionem, ut possit dici causa cepta: Sed certe eam solam sufficere, mihi difficile est, ut d. difficile fuit supra *l. 4. s. 4. n. 6.* meram petitionem confessionis illam facere causam ceptam.

§. II. Explicatur vota excepta in bulla.

1. **D**ecernamus nunc, quamnam vota nequeant per bullam commutari? Dico commutari non posse vota absoluta castitatis, religionis, peregrinationis ultramarinae (qua voce, quasi per Antononiam intelligitur peregrinatio Hierosolymitana) emissae devotionis causa. Idem dic de iuramentis, quibus praedicta observanda iurantur, quando nimirum per ea iuramenta confirmantur promissiones Deo factae; sunt enim etiam esse reservata, quia tunc non sunt, nisi vota, ut supra dictum est: Promissiones, dico: nam si quis per iuramentum confirmet duntaxat, sic assertive, *Iuro me habere, vel habuisse voluntatem, seu propositum conservanda v. g. castitatis*, tum sic non promittat, sed enuntiet, iuramentum

Part III.

est assertorium de praesenti, vel praeterito, non vero promissorium, atque adeo votum non est.

2. Dicitur est autem (vota absoluta) ut enim vota haec tria excipiantur, ea intelligi debent, quae sunt absolute, & perfecte talia, nullaque ex parte deficientia. Id permixtissime notandum est, nam ex hoc multa, quae vota excepta esse prima facie apparent, excepta tamen nequam esse, inveniuntur, ut iam ex corollariis, quae colligam, palam fiet.

Votum Castitatis diminutum.

3. Hinc enim primò, votum non fornicandi, votum non se pollucendi, votum non nubendi, votum castitatis coniugalis, votum virginitalis, ac, id est consistenti in abstinentia primi actus luxuriae, quae, nisi scilicet virginitas involvit corporis integritatem, votum integræ castitatis, sed ad tempus, ad quod rationabiliter praesumatur aetas hominis perventura; vota inquam, haec quia sunt castitatis diminuta, non numerantur inter excepta, quare sunt per bullam commutabilia.

4. Praeterea votum castitatis vete conditionale hoc v. g. modo emissum, *Voveo castitatem, si convalesco, hoc est si a Deo sanitatem imperabo*, satis probabiliter, etiam sanitate obtenta, non est ex exceptis, quia deficit à puro voto castitatis quod illud in rigore est tale, & absolute, quod propter Dei cultum simpliciter fit, ac hoc respiciet motum utilitatis propriae. Cor autem dictum sit (vete conditionale) mox intelliges, n. 11.

5. Idem satis etiam probabiliter dic de voto poenali in hunc modum facto (Voveo v. g. non ludere, quod si ludam in poenam voveo castitatem) vel in hunc alium modum, non vovendo omissionem ludi, sed castitatem in casu ludi, sic, *nolo ludere, quod si ludam, voveo castitatem*. Idem dic (inquam) quia haec non sunt pura vota castitatis, sed relata ad tuum ludam. Faciunt ad hoc ea, quae dixi supra §. 1. n. 22.

Denique votum castitatis per partes emissum, cui tamen integro noluit vovens se subicere, huc reducitur, nec enim est ex exceptis. Voverit quis v. g. hodie, nolle assentiri pravis internis cogitationibus, cras voverit se non fornicaturum, perendie se nolle actum impudicum externe peccaminosum habere; dico haec singula non esse reservata, quia sunt vota diminuta castitatis, atque adeo esse per bullam commutabilia, nisi tamen vovens, voluerit in ultimo voto simul omnia colligere, illisque esse subiectum, nam tunc votum erit perfectæ, & integræ castitatis.

Votum Religionis diminutum.

6. Hinc Secundo, votum de assumendo Ordinem Sacrum; votum de serviendo toto vitae tempore Hospitali, vel Monasterio, seu Religioni, nisi sic intelligas, rite in illa profiteri, votum de ingrediendo in Religionem, si intelligas solum ingressum, non vero perseverantiam, seu professionem in ea (hoc vide distinctius apud Doctores citatos à Diana p. 1. tract. de bull. Cruc. ref. 79. haec inquam quia non sunt vota perfecta de Religione non sunt reservata; sed per bullam commutari, fas est.

7. Idem promittia, si votum religionis sit vete conditionale, vel poenale, propter rationes modo num. 4 dictas.

Votum Peregrinationis Hierosolymitanae diminuta.

8. Hinc tertio, vota de invisenda Sanctissima Virgine Lauretana vel S. Iacobo in Compostella, vel votum Peregrinationis ad Divina Apostolorum, vel etiam Peregrinationis Hierosolymitanae non ob visitanda Loca Sancta, sed ob alium, tametsi honestum, & pium finem v. g. ad sua peccata ibi cum confessario illic forte de-

R r x gente

gente confitenda, vel ad suam parentem ibi ægotantem adiuvandus; Hæc inquam vota, cum non sint ad loca Hierosolymitana Sancta, non sunt reservata, unde sunt per bullam commutabilia.

9. Idem dic, si votum eiusdem Hierosolymitanæ Peregrinationis sit vere conditionale, vel pœnale propter rationes adductas n. 4.

Dua Notationes facientes ad prædicta.

10. Duo tandem diligenter notari velim. Primo, qualitates quasdam annexas his reservatis votis posse per bullam commutari v. g. Novisti Peregrinationem Hierosolymitanam pedestrem, vel mendicando in itinere, vel sine magno comitatu, potest confessarius per bullam electus has circumstantias sibi commutare, modo interim persistet ipsa Peregrinationis substantia, quia hæc est reservata, nequaquam illæ.

11. Nota Secundo. Cur quando dicimus votum conditionale commutari per bullam posse, addimus illud (*vere conditionale.*) Ratio enim est, quia non raro, quavis in modo loquendi adit in tuo voto illud (*si*) tamen non semper significat conditionem, sed tempus, atque æquivaleret particula, *quando*, voves v. g. si convalesceris, si Pater tuus incolomis domum redierit, si tua soror honeste nupserit, voves, inquam ire Hierosolymam, & religionem te addicere, vel castitatem perpetuam sanctam rectam custodire. Aio, si sensus sit verè conditionatus in hunc modum *Voveo, si hæc prædicta mihi concesserit Deus, Religionem, Peregrinationem, Castitatem*, erunt, eiusmodi vota commutabilia: at si sensus sit hic alius, *Voveo, quando ego convalescero, quando meus pater redierit, quando mea soror honeste nupserit, &c.* hæc non erunt vota conditionata, sed absoluta pro præfixo tempore, quare nequaquam commutationis favore gaudebunt.

§. III. Vota de quibus est aliqua maior controversia, an per bullam commutari queant? Vota coniugij.

1. Prima controversia est de voto perfectæ castitatis emisso à coniuge, an sit reservatum, ac proinde neutiquam commutabile per bullam.

Respondeo. Certum est, si votum hoc fuit à coniuge episcopum ante initum matrimonium, esse reservatum, etiam post matrimonium initum, siquidem ex matrimonio naturam non mutat; & ipse quidem peccavit matrimonium contrahendo, licet propter ius bona fide ab alio coniuge acquisitum, possit debitum reddere, at petere quidem non potest; & quamvis iuxta probabiliorum sententiam possit Episcopus, & forte Mendicantes per sua privilegia dispensare hunc, ad petendum debitum, dumtaxat dum coniux vivit, tamen nec ad hoc, nec ad totum votum commutandum bulla quidquam potest, quia id esset Bullæ potestatem extendere ad vota per Pontificem excepta.

2. At, si sit sermo de voto castitatis, quod forte coniux emitat dum est in matrimonio, quinque modis emitti ab ipso possit. Primo ab altero absque licentia alterius Coniugis. Secundo, ab altero cum licentia alterius. Tertio, ab utroque sine mutua, licentia. Quarto, ab utroque cum mutua licentia, non per modum contractus, quo quisque cesset iuri suo petendi. Et in his quatuor potest bulla, quæ sive cum licentia, sive absque ea cum alter, qui cedit licentiam, non se privaverit iure suo, ut in his quatuor modis supponimus, remanet, votum non esse perfectæ, & absolute castitatis. Verum Quinto modo, si votum castitatis emittatur ab utroque sed mutua licentia, & per modum contractus quo quisque iuri suo cedit, cum iam sit votum perfectæ castitatis, reservatum erit, & in commutabile.

Notat tamen Sanchez, l. 9. matr. d. 37. n. 13, si dicti coniuges remittant sibi, & acceptent mutuam cessionem iuris petendi, & reddendi debitum, posse per bullam tunc, ejusmodi votum commutari; siquidem quod re-

manet, votum integrum castitatis non est. Sed ad rem, sic requiritur peccare graviter coniuges, quia ut supponimus, contra votum operantur.

Votum strictioris Religionis, & quoad tempus.

3. Secunda controversia, an per bullam commutari queat votum religionis strictioris in laxiorem, ut nunc, quoad tempus præfixum à vovente, hoc est quoad electionem ingressus.

Respond. utrumque posse per se, quia ut supra vidimus, circumstantiæ extrinsecæ non sunt reservata.

4. Dixi (per se) nam si in laxiore non viget obsecrantia Regularis, & dilatio temporis sit tanta, ut votum periculo exponatur votum non implendi, tunc in neutro casu poterit aliquid bulla, ut nec Episcopus, quia est commutare substantiam voti, & ita tenent Sanchez, l. 1. d. 9. n. 19. & l. 4. sum. c. 40. n. 76. & Cast. l. 3. r. 11. d. 4. q. 11.

Votum Religionis Militaris.

5. Tertia controversia. An votum Religionis Militarium possit commutari per Bullam? Respondeo votum Religionis Militaris Sancti Ioannis Hierosolymitani (cuius Religiosi Melitenses vulgo appellantur) non posse, quia hæc est in omnium sententia vera religio. Aliarum vero, puta S. Iacobi, Alcantaræ, Calciavæ &c. posse probabiliter; quia in multorum sententia probabili, hæc non sunt, saltem hodie vere religionis, quamvis in aliorum probabili, & fortasse probabiliori sententia, etiam hodie, sint. Lege Sperellum, par. 1. data. alioque ab eodem citatos.

Excipe Regulares ex his Ordinibus; nec mirum, quia hi sunt veri Religiosi &c. ut Andreas Merdo in app. ad bul. dil. c. 31. n. 118.

Votum sub distinctione.

6. Quarta controversia est huiusmodi. Quamvis conveniant Primo Doctores, si tu voveas sub distinctione duo vota reservata, v. g. voveas vel castitatem, vel Religionem, conveniant, inquam, tunc neutrum posse per bullam commutari, quia utrumque est reservatum, & quamvis, Secundo, conveniant, si voveas sub disjunctione duo vota, quorum alterum sit reservatum, alterum non, ut si voveas, vel ieiunare per aliquot annos, vel castitatem; conveniant, inquam, utrumque posse commutari per bullam, quia tunc propter illam libertatem, quam habes eligendi Ieiunium, non est castitas perfecte, & absolute promissa; Controversia tamen est inter illos, an facta à te electione reservati, quando licet, tu omisis ieiunium, elegisti partem illam voti, que erat castitatis (sine novo voto ipsius, ut semper supponimus) an inquam, possit per bullam prædictæ castitatis votum commutari.

7. Respond. Esse reservatum, atque adeo commutari per bullam non posse, docet Sanchez, l. 8. matr. d. 9. n. 14. & in sum. l. 4. c. 40. num. 43. Ratio est, quia inquit, facta electione illius iam Deus, qui electionem vidit, illum acceptavit, ergo iam remanet esse à Deo acceptatum votum integræ castitatis.

Non esse reservatum, sustinet, si attente legas, Sanch. l. 6. de voto c. 2. n. 3. & Castropalus l. 3. d. 2. p. 11. num. 6. Ratio est, inquit, quia illa electio non est votum, sed mera voluntas, & propositum illam partem servandi; ergo votum remanet, ut erat prius, punit cum imperfectione, quam habebat, ergo non perit de talis. Hæc sententia est n. 4. probabilior.

Ex qua fit, ut si pars altera non reservata fuerit redita impossibilis, evadet v. g. prædictus votus impotens ad ieiunandum, non propterea voti illa pars altera, quæ est castitatis evadit reservata, quia illa impotentia non mutat votum, seu voti imperfectionem, sub qua